



Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

B. Antonivs Lerinensis Monachvs S. Severini Abbatis, Nor. Apostoli
Discipvlvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

B. ANTONIVS

LERINENSIS MONACHVS

S. SEVERINI ABBATIS, NOR. APOSTOLI

DISCIPVLVS.

Anno Christi.
CCCC. LXXXIIIX.
B. Ennodius Ticin.
Episcopus p. 379.
Eugen. T. 6. anno
488.



Antonius Valeriæ ad Danubiũ patre Secundino viro nobilissimo natus, patrum habuit Constantiũ Laureacensem pontificem, virum sanctissimum ad quem priusquam veniret, patre defuncto S. Seuerino disciplina contraditus est, qui jam tum in puero virtutis argumenta notasque sanctitatis animaduertit, quare singulari affectu pueri innocentiam complexus & exosculatus, summam illius curam habuit. Sed euocato ad superos Seuerino, venit in B. Constantij patris contubernium, vt his verbis Ennodius ostendit : *Sed postquam beatus vir humanis rebus exemptus est, Constantij Antistitis ea tempestate florentissimi, iunctis obsequijs, gloriosis operibus vite rudimenta dedicauit. Qui eum inter Ecclesiasticos Exceptores celestem militiam iussit ordiri. Erat enim venerabilis sacerdos Antonij nostri patruus; sed nunquam ille magister ij rigorem consanguinitatis lege molliuit; nec fecit securũ de necessitudine discipulum, non timere, cui gratiam doctoris nisi censura non prestitit. Tantus fuit circa sectatorem diligentie modus, quantum iudicia contulerunt: meritum suum in facie monitoris agnouit. Cũ deinde barbaræ paganæque gentes Heruli, Franci, Saxones, Pannonias adeoque Laureacum incurfarent, & Constantius Laureacensis antistes vita cessisset, ipsius cura Pontificis ministri Antonium ad Tellinam Vallem ad Marium presbyterum singularem dæmonum hostem deducunt, vt Ennodius his verbis ostendit : Inter quas temporum procellas Constantius pontifex (ne quid in mundo haberet subsidij, terra hostib. deputata) humana lege liberatus est: post cuius resolutionem Antonium nostrum famuli ad Italia partes, quibus cælitus fuerat deputatus, Christo duce perducunt: principe loco, Tellinæ vallis, quæ id sortita est vocabuli, limen ingreditur: quam montium ex utroque latere brachijs fabricatam natura ditat amœnitas, & de verticibus fecundis animum plebe locupletat vber solũ, quod auaris responderet iuxta desideria immoderata cultoribus. non tamen ita, aristis prægravidum aut dotatum pascuis, aut arbutis compositum, aut fluminibus latum, vt non ei plus superuenientis personæ gratia præstaret, quàm ipsius originis variata & distincta formositas. illic*

Ennod. p. 381.

Felselin.

tas illic Mario presbytero qui spiritibus immundis dominabatur, adiunctus est. Hic Marius cum cælestem Antonij gratiam & virtutem mentis oculis intueretur, dignum censuit, quem in sacrum clericorum ordinem referret. Sed is ut auctor loquitur, fugit honorem velut veneni poculum, maluitque parere alijs quam præesse. Itaque ne humanæ consuetudinis vitia traheret, secessit ad Hilarium montem, qui non procul à S. Fidelis martyris aberat mausoleo. Ea porro rupes asperissima & propè inuia erat, in qua tamen duos jam ætate graues reperit, qui Deo votis & precibus incogniti litabant: Nam ita testatur Ennodius: Elegit secessum haud procul B. Martyris Fidelis sepulcro, ^{ibi.} ubi Hilarius Ionijs marmoris minas deponit, quando ne euagetur longius, obiectis ripis resistunt fræna telluris. illic inserto nubibus vertice mons coruscat, qui sublimitate sua vincit aspectum. Sed quàm superbus est magnitudine, tam difficilis ascensu. Nam nullis ante monachum nostrum patuit gressibus, nec per prærupta Saxorum humani generis admisit, formidine repugnante, vestigium. In præcis cantibus tuta feris longum præbuit nullo exercebat cubilia, eo bestiis blandior, quo terribilis agricolarum excursui minatur. In hoc Dei famulus sedem delegit, in quo sola fuit placendi causa, quia nequaquam lenocinabatur aspectibus: nihil secum amplius nisi parum leguminis, & ligonem, quo terram sollicitaret, de mundi beneficijs assumens. dedicauit callem subiecta asperitate nescitum: jugâ illa indomitam naturæ legem Antonio congremente perdidit: reserata itinera post ingressum eius patuere cupientibus. Inuenit illic tamen duos senes, quos jam ita inter lustra belluarum habitatio longa miscuerat, ut nihil de illis mundo fama nuntiaret: quorum vitam scientiamque plenè videor elocutus, cum expetitam pro Dei timore habitationem sine nube vulgauit. Breui post horum vnus assumptus est, & terreni carceris mole deposita, æthereâ valetudinē felix anima resumpsit. Nam absolutionis eius tempore, columna ignea beati Antonij oculis est ingesta, ad cælum usque pertingens: credo ut venerabilis viri fides, & ardor ille vitiorum decoctor typico monstraretur incendio. Dices, quomodo verum, quod supra dixerat, nullis ante monachum nostrum patuit gressibus, cum tamē duos ibi senes offenderit? Non fuisse frequentatum montē vel à pastoribus, vel à venatoribus, intellige, nisi à duobus senibus, qui illuc ingenti nixu tanquam capreae euaserint, nullaque vestigia viæ reliquerint. Cæterum quam inibi vitam nouus hic Antonius exegerit, porro Ennodius explicat, cum affirmat, quod nihil secum præter pauca legumina tulerit, & ligonem, quo terram sollicitaret. Itaque viâ aperuit, ut accessus ad montem cupientibus pateret. Ibi alterius senis vitam paulo post defuncti animâ vidit per columnâ igneam ad cælum usque pertinentē, astra petere. Sed Antonius in solitaria illa acesi versatus, nunquam cibum sumisit, nisi cum vires corpus destituerent, nunquam somnum cepit.

cepit, nisi peractis officij munij. Sed enim audiamus Ennodium ipsum, reliquas eius virtutes retexentem. Sciuit ille, inquit, sic per labores varios disciplinarum lineamenta sectari, ut nunquam assumeret arrogantiam de labore: & cum omnia essent digna preconij, quæ gerebat, dispendium virtutis credidit fuisse laudatum: sic totum de eius actibus opinionis luce radiabat censura mentis in corpore, & iracundiam quam contra culpas animæ suscepit, facies infucata pingebat. Videres adversus flagitia mundana toruos oculos, & indefessa contra seculi blanditias Christi militem bella tractare, quando illa imago statum suum resoluit in risum, & ab ordinis proprii rigore lætitiæ debilitate confracta est. Interea dum velut obsignatum monachi in vniuersis implet officium, vir quidam (quem sponsæ suæ amor in facinus impulerat, & ad effusionem humani sanguinis affectu & indignatione prouocarat) dum conscientiam se credidit fugere mutatione terrarum, & in alijs prouincia partibus innocentiam reperiri, quam furore duce perdidit, velatum simplicitate ad secreta eremi portauit homicidam, putans in Dei obsequio constitutus de actibus suis præter effigiem nil patere artificij: humilem simulant operum, & per dolosi commenta consilij, fabricata subiectione compositus, cautiorebus scelerum sordes texit obstaculis. Difficile est, præter Deum, deprehendere, quidquid obsequendi argumentis inuoluitur. Prouide flagitium celat abiectione: raro in lucem erumpunt crimina, quæ auctor obtemperandi scierit furore sepelire. Protinus tamen adfuit ille iudex consuetus, & latentis secreta conscientie diuinæ vocis clauē reserauit. In his sermonibus aduersus Antonium, quando eum plus quàm homo possit, docuit agnouisse; illum denudans, qui crasso indumento latronem tegebat: Caue, inquiens ne tanti criminis reum sancto velis miscere collegio, ne lupum ouibus, agnis viperam negligens estimator adiungas. Iste animam Dei manibus concessam, per elisi fragmenta gutturi effugauit, & inter necino fratris furore constricti vitam è sedibus suis, dum infert faucibus vincula, dissoluit. Hunc debitum exitum sequitur: nec à iugo supplicij erit alienus, qui humano sanguini non pepercit. Misericordia est, circa facinorosos seruata distinctio. Ergo sopori terminum ponens, mandatorum celestium hostem depellit, ne candida conuersatio tecum habitantium fusca superuenientis contagione violatur. Illico diuinis obsecutus imperijs, hominem vocat mentientem, conuenit feriato ore male conscij, omnia eius gesta persequitur. Expauit deprehensus cum flagitia sua recenseri videret ab homine, quæ sine teste humani generis commiserat, viaticum poposcit, fugam tremens arripuit, continuo tamen pedissequareum ultio comprehendit, & expiatum scelus patris mortis nunciauit. Ita sermo iusti, viribus carere non potuit. Interea sanctus vir per regiones finitimas insidiantis famæ linguis innotuit, quæ ne pareret de celeritate iactantiam, ante prouisa sunt remedia, quàm morbus adolefceret. Qui enim grandæuus aut debilis duce diligentia, non itineris illius transmeabat abrupta, cum danti-

ib. p. 285. post m.

bus valetudinē desiderijs etiam aegritudines corpora non tenerent, hac perterritus frequentia, ad secretionem eremi beatus Antonius credidit euolandum, ne singulorū deuotio inamabilis arrogantia mater existeret, & de multiformi gratia, rigidioris propositi ruina nasceretur: mox tamen secessus, quem pendula rupes commendabat, electus est, in quo annis pluribus solus & vere monachus vitā sine humani generis consorte transegit. Dabat feras pro sodalibus mōtana solitudo, mugitus vrsi, aliarūq; belluarū minax immurmuratio pro blandae cōfabulationis communione ponebatur: deniq; ea tempestate vrsus petulantior, gloriæ plus daturus, caules ipsius puberibus folijs letiores, & quadam Domini hilaritate gestientes; immani ingrediens contritione vastauit, ita vt nusquā de simplici fruge spes residua linqueretur, quem ille baculo multatū destrictim abire precipiens, testem virtutis suae & nunciū passionis ad alias ire bestias mox coegit: vt impleteretur Domini fidelis pollicinatio, quæ sectatoribus suis totius veneni & omnium ferarū promisit obsequium, rursus tamen gradienti ei per destinatū callem, rugiens se fera suggesit, quam ille solā in sione turbatā, iter fecit aperire, & occupata viæ claustra deserere. Sed ecce iterum alis pernicious per prodicionis suae ordinem, Dei seruū in quo loco degeret fama vulgauit, aliud de ipso pro sententiarū varietate diuersis opinantibus. Tunc liquidō patuit per occursum multiplices, nihil obstare cupientibus planari ardua, solidari scissa, & pendentia non timeri, sed potioribus insidijs ne per arrogantia hostis subreperet, fortiter consilio manus opposuit, ne jam grandæuus perderet, quod inter tirocinia virtute seruasset. acrius enim circa robustos diaboli certamē est, & maioribus copijs illos adgreditur, qui conflictus eius experti roboris sudore domuerūt. vniuersa tamen secum ipse pertractans, breui animum suum allocutione firmavit. Quid agimus? mens adhuc mundani oneris fasce depressa quam nondū ad auctorem suum corporeus carcer euomuit. Non tibi certa est de perfectione fiducia dum adhuc includeris fragilitate carnali? periculis plena sunt, quæ videntur esse tutissima. Lenocinia hostis tui intelligis, dum vniuersorum voce laudaris, vide quantos labores insidijs, absconditum esse non licet, quod adimus. Latebram nostram persecutio manifestat hostilis. Sanctorum petamus exercitum & illam Lirinens in sulæ cohortem irriguo inquiramus ardore; quem solū hactenus pulsauit aduersarius, timebit inter inimicā sibi multitudinē cōstitutū instructa prælijs acies, illa semper inuigilat, & varijs perfossū ictibus abigit infestantem. Quot bella illis diabolus intulit, numerant tot triumphos, non metuant (nescio) quoties adesse Satanam, vt dimicantes acuant, classico fuerit stridente nunciatum. Semper eruditos & fortes reddidit quotidiana decertatio; quomodo prolixior pax solutos. His dictis dimissam fratribus cellulam, quos ibidem prædicti amor congregauerat apud Lirinum, improvisus apparuit; nunciauit virum insignium meritorum facies ieiunij pallore decorata. Nam dum secreti nitorem hominis splendidissima macies indicaret, non defuit actuum eius præco consuetus, immaculatam conuersationis ipsius speciem, sub verborū abundantia & relationis vbertate describens. mixtus grandæuis & præcipuus gestorū suorū lampadem nō minori intellexit igne rutulare.

rutilare. metuitis est fomitis sui lucem dum vidit alieni. Quasi inter ornamenta cæli, ut sidera pleno fulgore micantia superuenientis astri claritudo societur; certant sine inuidia geminare radios & per augmenta luminis speciem superare nouitatis, alia prolixiori crine facem suam stella commendat, alia puriore unam dicit, potior flamma nobilitat alteram per spacia nocturna sincerior. Sic Antonium nostrum per uniuersas locorum mutationes a Christo veniens disciplina comitata est. prouidit tamen ne cui in illa nutrice sanctorum insula cum prestare meritis præferre videretur honoribus sciens in humilitatis radice plantatum ad centenos fructus assurgere. Blandus iuuenibus, grauis maturis, doctus peritis, submissus existendo simplicibus, totam illam Domini gregis legionem distinctam actu, variatam gentibus quasi unam animam in sua affectione collegit ibi biennio, seipso potior mundi istius sarcinam deponens, victor insidiarum quas antiqui serpentis parat astutia, diem nostrum & lucem præsentis sæculi, perpetui luminis adeptione commutauit. Taceo qualiter vitam ipsius mortis claritudo signauerit: ne uniuersa digerens, non tam veritatem narrasse, quam prædicti laudibus videar immoratus. Veluti si quis constium lucum frondium densitate repererit, ex quo coronam ferro stringente subripiens, genium siluæ, dum præsumit parua, non amouet. melioribus equidem de antonij nostri factis, quæ stilum non attingi narranda seruaui. vincat forte eloquentiæ flumine, nemo me circa illum superabit affectu. Habeat qui secutus fuerit de peritiæ messie et antiæ, mihi gratiam beati hominis nemo præripet, qui ad explicanda eius bona primus acceßit. Sæculum quo vixit Baronius ostendit in VI. annali anno CCCC. LXXXVIIII. Quem Bauariæ sanctis adieci, quod cum D. Seuerino Noricorum Apostolo in Norico aliquot annis puer adhuc vixerit, ut Eñodius docet, ac deinde Laureaci in prouincia Austriacâ, olim Boicæ accensâ.



B LVCILLVS PRESBYTER BATAVIENSIS, EPISC. VIENNENS.



Qui venit ad turbam, purus licet ante probrisq;
A turba peior scipius ille redit.
Qui venit ad sanctos, prauus licet ante malisq;
Scipius a sanctis sanctorum ille redit.


Ab socio mores, prauisque probique trahuntur,
Te bonus esse bonum, vult malus esse malum.
Hoc, Lucille, doces diuinum patris Achates,
Cuius, viuendi lex tibi, vita, fuit.

C

B. LVCIL-

ALFONSO PRINCE DE PATRICK

ALFONSO PRINCE DE PATRICK



ALFONSO PRINCE DE PATRICK